



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeio, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

Extremæ inopiæ incommoda superat. Cap. XIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

in spiritu vel progressus, vel regressus perquam accurate exploraret atque perpenderet. Procuracionem quoque alienae salutis, & institutam consuetudinem agendi cum proximis, tantisper dum litteris, ac praesertim philosophiae vacaret, aliqua ex parte remisit, nunquam tamen omnino deposuit.

*Extrema inopia incommoda superat.*

*Cap. XIX.*

**I**Am vero, satis usu ipso edoctus, quantum detrimentum studiis afferat mendicitas, & cura tolerandae in singulos dies vitae; & nihilominus optans Christi Domini & Apostolorum exemplo nihil profus in hoc saeculo possidere; piorum benignitate ac facultatibus totam rem ita moderari constituit, ut neque in diem, ut antea, precario victitaret, & nihil idcirco de voluntariae paupertatis proposito meritoque deperderet. Sed ea res primis utique mensibus minime cessit illi e sententia. Cum enim sese in Hispanorum aliquot contubernium contulisset, qui plurimi Parisiis ipso belli tempore versabantur,

&



& exactam è syngrapha Barcinonensi pecuniam cuidam ex eadem natione custodiendam dedisset, eam ille clàm suos in vsus non optima fide conuertit; cumque postea reddendo nō esset, reliquis iam nummis infumptis Ignatius, & à locupletibus amicis, quorum ope adiuuari posset, longo interuallo disiunctus, tanta subito rerum omnium inopia oppressus est, vt ei cibum ostiatim quaritare quotidie, & in hospitalem sancti Iacobi domum, infimis precibus exorato eius loci præfecto, demigrare necesse fuerit graui sanè incommodo. Quippe Lutetia Parisiorum, vrbs in primis Europæ totius & magnitudine & celebritate visenda, trifariam est diuisa: partem vnā, quam Sequana fluuius insulam efficit, regia vetere, foro, & tribunalibus nobilem, vulgo Ciuitatem appellant: altera, que nouam regiam continet, Oppidum dicitur: tertia pars, iam inde à Carolo Magno dicata Musis, Vniuersitas nominatur. in hac, præter cæteram incolarum turbam, scholastici maxime inhabitāt; ac numerātur ibi collegia per multa



multa libero aditu, cum suis vnum-  
quodq; liberalium artium discipulis  
& doctoribus, & praefecto collegij, quæ  
Primarium vocant. Igitur ex ea vicini-  
tate in sancti Iacobi hospitium, quod  
procul inde est in suburbio, extrema  
necessitate compulsus Ignatius, in tan-  
to locorum interuallo, cum alijs affli-  
ctabatur incommodis, tū vero quod  
cum ante lucem in academia incipe-  
rent scholæ, nec nisi nocte desinerent;  
ipse, illius hospitij legibus, nec manè  
ante solis ortum egredi poterat, & ve-  
spere ante occasum regredi cogeba-  
tur, sic, vt inter eundū & redeundum  
quamuis industrio ac vigilantij discipu-  
lo, multum & de magistri dictatis, &  
de tota scholarum exercitatione de-  
periret. Cui tanto detrimento cum in  
presentia nullum aliud remedium oc-  
curreret, consilium cepit more scho-  
lasticorum egentium, ea conditione  
locandi operam suam alicui ex acade-  
miæ Primarijs, doctoribusue; vt quod  
sibi à rebus domesticis otij superesset,  
id totum in scholastica disciplina, stu-  
dijsq; doctrinæ consumeret. Sed ma-

gis



gis magisq̄ue probante Deo constanti  
am & patientiam viri, conditionem e-  
iusmodi, quamuis magna adhibita di-  
ligentia, nactus est nullam. Itaque de-  
iectus hac spe, cum id ærumnosæ vitæ  
genus aliquandiu tolerasset; & quos in  
Hispania reliquerat socios, de statu re-  
rum suarū per litteras monuisset, hor-  
tatus, vt ibidem ex condicōto curriculū  
studiorum absoluerent; rationem inijt  
multo commodiorem, vt indictis va-  
cationum ferijs, in Belgium, atque in-  
terdum etiam in Angliam siue Britan-  
niam, ad Hispanos negotiatores excur-  
reret: quorum benignitate cum facile  
obtinuisset annuam pecuniæ summā,  
Lutetiæ toto studiorum tempore cer-  
tis pensionibus exigendam, commodi-  
us multo cœpit in liberalium discipli-  
narum cognitione versari. Cumque  
oçtodecim fere menses Latinæ lingue  
tribuisset in Montis acuti collegio, in  
collegiū cui à sancta Barbara nomē  
est, ad Philosophiæ studia transijt ala-  
critate mirabili: ac primum occurfan-  
tes denuo rerum cælestium importu-  
nas imagines, quamquam eximia cum

H animi



animi delectatione cōiunctas, eadem spiritus constātia, qua superiores illas iterum ab se reiecit ac repulit; deinde magistris attente audiendis, multa ac diligenti eorum quæ audierat commutatione, quotidianis denique gymnasticis exercitationibus, triennio & mensibus sex (quod spatium temporis curriculo Philosophiæ in academia illa tribuitur) ita profecit, ut honorifico magistri iudicio ac testimonio (is erat Ioannes Penna Philosophus) post cōsuetam certamina, ritu solemnem, laurea, cæterisque doctrinæ insignibus decoratus sit. Post hæc in cœnobij Dominicani gymnasio sacram Theologiam aggressus est, ingenti sane labore & industria, cum præter cæteras lucubrationes, hyemem sæuente, quotidie manè ante lucem ad scholas, quæ illa circiter hora ibi habebantur, accederet. atque ex eo studio tantum Deo adiuuante percepit, quod satis esset ad fidei doctrinæque suæ rationem, sine suspitione vlla nouitatis, ex Patrum decretis atque auctoritate reddendam.

Varie